

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Antonii Mariae Gratiani A Burgo S. Sepulchri Episcopi  
Amerini De Vita Joannis Francisci Commendoni Cardinalis  
Libri Quatuor**

**Graziani, Antonio Maria**

**Parisiis, 1669**

Cap. IX. Quò primùm publicè missus sit.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-9616**

---

*Quò primùm publicè missus sit.*

## CAPUT IX.

**G**RATUM Julio , & obsequium juvenis , & celeritas fuit : itaque nihil jam non rectè committi industriæ ejus putans , paucos post dies eum ad Guidubaldum Urbinatum Duce m̄isit Urbinum. Mittendi causa hæc fuit. Contende- bant armis Cæsar , Gallique ; & cùm Sena nobilis Etruriæ civitas fatigata Didaci Mendotii impor- tuno , superbōque imperio , Hispanis ejēctis Gal- lorum præsidium in oppidum accepisset , ad vindicandam , tuendámque eam magnâ vi bellum v- trimque parabatur : utriusque Guidubaldum , cuius erat ditio , vel ipsâ propinquitate bello opportu- na , trahere in suas partes , militiámque proposi- tis amplis stipendiis , optabant , Juliumque Pon- tificem , cuius auctoritatem secuturus Guidubal- dus videbatur , variè sollicitabant. Et Julius veri- tus , ne Guidubaldus cupiditate haberetur , atque in utram ille sectam transisset , sibi ab aliis impu- taretur , eum retinere , sibiisque militare volebat. Qui igitur eum ab studio factionum averteret , conduceretque Commendonum misit. Et quia eodem tempore à Cæsaris Legatis missum ab ur- be certum hominem ad transigendum cum Duce intellexerat , dare operam Commendonum jussit , ut diligentia & celeritate illum antecederet. Ex-

templò profectus, ac brevissimè confecto itinere  
mandata Pontificis Guidubaldo exposuit, planè  
jam ad accipiendas quas ei Cæsar conditiones of-  
ferebat inclinato, expectantique eum quo coram  
de omnibus rebus pacisceretur. Sed cùm Com-  
mendonus ei, & voluntatem Pontificis, & anceps,  
nec vllam in partem tutum consilium se, résque  
suas duorum præpotentium Regum dissidio, ar-  
mísque miscendi ostendisset, & auctoritate Julii,  
& Commendoni sermone permotus, in potestate  
Pontificis futurum se respondit. Ita stipendio,  
pactisque conventis in Pontificis militiam est ad-  
scriptus, eique vrbis Præfectura tradita. His con-  
fectis cùm paulò pòst à Gallis, Cæsarianisque mis-  
si supervenissent, comiter atque hospitaliter ab  
Duce accepti Romam sine effectu rediere. Man-  
daverat præterea Commendono Julius, vt si lo-  
cus ei daretur, Guidubaldi animum de sororis ma-  
trimonio exploraret, verùm ita vt nihil suis ver-  
bis cum illo ageret, æquum enim censebat prior-  
rem se de eo ab Duce appellari. Ea erat virgo per  
matrem Camerium Ducum hæres, cupiebátque  
Julius, vt Fabritio Montio fratri sui filio despon-  
deretur. Commendonus cùm sublatis post cœnam  
mensis, longo ambitu variæ orationis, Guidubal-  
dum in hunc sermonem de Pontificis affinitate  
traxisset, quām multa commoda, quantásque ad  
omnia opportunitates ea res habitura esset, disse-  
ruit, suāmque in id Duci operam, atque studium  
obtulit. Quod ille non aspernatus, postulavit à  
Commen-

Commendono, ut suo nomine optare siquidem id, atque pernelle Julio diceret. His actis, eadem nocte consensis, & crebro mutatis equis, Romam rediit, cum Julius vixdum venisse cum Urbinum existimaret.

*De profectione ejus in Belgas.*

C A P U T X.

**D**ISSIDENTIBUS, vt dictum est, atroci-  
bus inter se odiis Cæsare, atque Henrico  
Galliæ Rege, ac exitiabili bello Christianam Rem-  
publicam dilacerantibus, Julius, quod sui in pri-  
mis officiis erat, de componendis Regum con-  
troversiis, reducendisque in gratiam eorum ani-  
mis, Hieronymum Dandinum paulo antè à se in  
amplissimum Collegium cooptatum, ac tam præ-  
cipuâ apud Pontificem gratiâ, atque auctoritate  
florentem, Legatum ad Cæsarem misit. Is Com-  
mendonum, cuius antè ingenium nonnullâ ejus  
confuetudine probatum, perspectumque habebat,  
secum ducere cupivit, impetravitque à Julio. Ce-  
leriter juvenis gravitate, & modestiâ morum, &  
omni officiorum humanitate cum cæteris carus,  
jucundusque, tum longè acceptissimus Legato ha-  
beri est cœptus, atque intimis quoque consiliis  
adhiberi: Itaque ad Cæsarem cum venisset, &  
nunciata paulò post Edoardi Britannorum Regis  
mors esset, in Britanniam ab eo est missus: de

E